

24
DISPUTATIO JURIDICA
De
JURISDICTIONE:

Publ. 8. 18
1620, 2

Quam
DEO AUXILIANTE

Consensu Magnifici & Amplissimi Jctorum ordi-
nis in Academia Lipsiensi

SUB PRAESIDIO

Dn: IOHANN-CHRISTO-
PHORI Brauns à Pefna in Grossen
Pefna/ U. J. D.

Publice discussioni subicit in Auditorio
Jctorum

CHRISTOPH. VVACKE
Numb. Thur.

Ad diem 14. Decemb.




L I P S I Æ,

Excudebat JUSTUS JANSONIUS Danus.

Anno M. DC, XX.



P. 148



V I R O

*Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo
& Consultissimo,*

Dn. THEODORO

*Moseln / I Cto Celeberrimo, Serenissimi ac Po-
tentissimi Electoris Saxonæ Consiliario Appellatio-
num dignissimo, Reipubl. Lipsiensis Consuli pru-
dentissimo & Scabinatus ibidem Assesso-
ri gravissimo, &c.*

*Dn. Patrono ac Promotori suo maximo mul-
tisq; nominibus suscipiendo-observando*

**Juridicum hoc exercitium in debita reverentia
& sui ulterioris commendationis Symbolum
faustumq; felicitatis anni auspiciis officiosè &
submissè**

nuncupat

Christoph. VVacke.



THESIS I.



Iurisdictionis vocabulum à jure dicen-
do, vel Jurisdicundi facultate, rectè dictum vi-
detur l. 7. §. fin. ubi jus dicunt ff. de off. procons. Ideo et-
iam, qui jurisdictionem habet & exercet dicitur
judicens. l. Insdicenti 1. ff. de Jurisd. item jus dicere,
l. meminisse 10. ff. de off. procons. Bocer. de Jurisd. c. 1. n. 28. Matth. Steph. de
Jurisd. lib. 1. c. 1. n. 10. VVesenb. in parat. de Jurisd. n. 2. Malè ergò Aze-
Zasius, Tiraquell. & alii à jure & ditione Jurisdictionem derivant,
& exinde Jurisdicionem scribendum putant: Hanc enim de-
rivationem non solum ipsa nominis figura & literarum nu-
merus planè respuit, sed etiam significatio illam non admit-
tit, nam ditio Imperium denotat. l. 2. C. de libert. & eorum liber.
Matth. Steph. d. in lo. n. 11. Qui n. 13. & seqq. hoc jurisdictionis voca-
bulum in aliam quandoque transire significationem contra
Bocer. in d. tract. c. 1. n. 29. & seqq. rectè statuere videtur.

II.

Sumitur autem Jurisdictio dupliciter, generaliter & spe-
cialiter. l. 61. §. 1. ff. de Judic. l. 5. C. de Jurisd. arg. l. necessarium 2. §. exactis
deinde 16. ff. de O. l. Exemplo adoptionis l. filiosfam. 1. §. quod 1. ff. de
adopt. Cognationis. l. ICros 10. §. inter agnatos 4. ff. de gradib. & simi-
lum. In genere definitur, quod sit statuendi & cognoscendi
de re qualibet legitima potestas magistratui competens. arg.
l. quacunq. 1. in princ. ff. de off. ejus cui mand. est Iur. l. potestatis verbo 215.
& ibi Gædd. ff. de verb. sign. Ubi potestas rectè generis loco po-
nitur, quod etiam placet Accurs. & Bocer. Cum verò variæ sint
potestates, ut potestas patria. t. t. Inst. de patria potest: Dominica
§. in potestate. Inst. de his qui sunt sui. item tutelaribus §. est autem Inst.
de tut. & aliæ, addimus in definitione differentiam quod hæc
A 2 pote-

potestas videlicet statuendi & cognoscendi competat Magi-
strati. Quo etiam distinguitur Jurisdictio à notione nuda,
quam habent pedanei iudices. l. 5 ff. de re Jud. arg. l. 5. C. de Iudi.
Non igitur concedimus Donell. & Duar. quod sit potestas exe-
quendi, Talis enim potestas nihil aliud est quam Imperium,
quod species Jurisdictionis non est. *ms. thes. s.* Aliam definitio-
nem habet Paurm. aliam Matth. Steph. alii alias.

III.

Cum verò generalis Jurisdictio consistat tam in rebus
criminalibus quam civilibus per text. in constit. de pace Constant. §.
nos Imperator. in fin. Ideo harum respectu quædam dicitur juris-
dictio Criminalis, quæ est potestas cognoscendi de causis cri-
minalibus. arg. l. necessarium 2. §. & quia 23. ff. de O. I. l. in criminali 5.
C. de Jurisd. Quædam civilis, quæ est potestas cognoscendi in
causis civilibus, Et hæc interdum etiam vocatur Jurisdictio
simplex, & sæpissimè intelligitur, si simpliciter vocabulum
Jurisdictionis in jure positum invenitur ut in l. quæcumq; 1. §. ult.
l. mandatam fin. ff. de off. ejus cui mand. l. Imperium 3. l. jubere 4. ff. de Jurisd.
Obrecht. d. sp. 6. thes. ult. Paurm. de Jurisd. lib. 1. c. 13. Et hæc Jurisdictio-
nis divisio etiam juri Saxonico & moribus nostris in quibus-
dam consentanea videtur, dividitur enim in supremam Ober-
oder Halsgericht / & Bassam, uti vocant, Erb. oder Niedergerichte.
Landrecht. lib. 1. art. 68 & lib. 2. art. 13. junct. gloss. ibid. Reimb. p. 6. diff. 46.
Coler. de process. execut. part. 2. c. 1.

IV.

Acquiratur jure civili omnis Jurisdictio aut à populo
arg. l. necessarium 2. §. 18. & 19. & 21. ff. de O. I. aut à summo principe
arg. l. 1 ff. de const. pecun. §. sed & quod 6. Inst. de Jure Natu. Gent. & Civil.
Et quidem acquisitione Magistratus. l. 1. in princ. ff. de off. ejus cui
mand. quamprimum enim magistratus creatur, illicò statim
lex, quæ magistratum illum definit, ei Jurisdictionem de-
fert, arg. l. 6. ff. de Jurisd. ita ut is magistratus suo jure eam ha-
bere

bere dicatur. *l. 5. ff. de iurid.* Item præscriptione, Et quidem cum castro seu territorio præscribitur 10. vel 20. annorum cum tanto tempore res immobiles & his cohærentia præscribantur *princ. Inst. de Usucap. sine territorio verò 30. vel 40. annorum l. 3. & tit. C. de præf. long. tempor. 30. vel 40. annorum c. 15. & 18. extr. de præscript.* Quod si de titulo non constet, tempus immemorabile requiritur. *c. super quibusdam. §. præterea. de verb. sign. c. 1. de præsc. in 6.* Merum tamen imperium cum lege speciali deferatur. *l. 1. ff. de off. ejus cui mand.* Jure civili nisi per tempus immemorabile præscribi nequit.

V.

Criminalis jurisdictionis executio vocatur Merum Imperium. *arg. l. mandatam fin. ff. de off. ejus cui. l. Imperium 3. ff. de iurid.* Quod in persona Magistratus cum criminali jurisdictione sæpissimè est conjunctum, Unde etiam sub tit. de Jurisdictione rectè de Imperio tractari apparet. *d. l. Imperium 3.* Exinde tamen malè inferre videntur *Vvesenb. cons. 95. n. 11. Vult. lib. 1. Jurisp. c. 12. n. 2. Bocer. d. tract. de iurid. c. 2. n. 2. & communiter Dd. jurisdictionem generalem tanquam genus sub se comprehendere Imperium, siquidem jurisdictio est potestas statuendi sup. thes. 2. at non constituti exequendi: Imperium verò est potestas constituti exequendi d. l. Imperium 3. at non statuendi arg. l. 1. §. ult. ff. de susp. tut.* Cum ergò omne imperium consistat in executione & pœnarum irrogatione, Jurisdictio autem in sola cognitione, illud sub hac tanquam species sub genere contineri nequit. *l. quæcumq. 1. d. l. mandatam fin. ff. de off. ejus cui mand. est iurid. Obrecht. de iurid. c. 2.*

VI.

Imperium variè accipitur, interdum enim significat universam Cæsaris ditionem vel regnum, *l. 1. in princ. (ibi quæ de Imperio lata est.) ff. de Constit. pecun. l. cum ratio 7. §. si plures 3. ibi cum ampliari Imperium ff. de bonis damnat.* Interdum publicam magistratus auctoritatem, ut cum *Cajus adoptiones magistratus*

Imperio fieri docet. *l. 2. ff. de adopt.* Alias significationes recenset *Matth. Steph. d. lib. 1. c. 6.* Nos hinc Imperium accipimus pro jussu magistratus. *l. quod jussit 14. ff. de re judic.* Unde etiam definiendum putamus, quod sit legitima potestas jubendi, cui omninò parendum est. *l. 215. ff. de verb. sign. l. Imperium 3. cunctis l. seq. ff. de Jurisd.* Et rectè dividitur Imperium in merum & mixtum. *d. l. Imperium 3.* Sicuti enim jurisdictio respectu rerum alia dicitur Criminalis alia Civilis. *sup. thes. 3.* Ita etiam Imperium respectu rerum cognitionis executionis, aliud dicitur merum, quod spectat ad res criminales, aliud mixtum, quod spectat ad res civiles. *d. l. Imperium 3. Videatur Obrecht. d. tract. 6. 3. & seq.*

VII.

Merum Imperium est potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos. *d. l. Imperium 3. Donell. libr. 17. com. cap. 8.* Gladii autem appellatione qualibet gravior facinorosorum coercitio & animadversio comprehenditur, cum, qui habet gladii potestatem, id est, jus vitæ ac necis *Gothof. ad l. nemo 70. ff. de R. I.* habeat etiam quamlibet graviolem animadversionem. *l. illicitas 6. §. 8. ff. de off. præf. Vult. 1. Jurisp. 12. n. 9.* alii aliter definiunt, ut patet ex traditis *ab Obrecht. in d. tract. cap. 3. n. 18.* Dicitur autem merum, non quod sit liberum uti voluit *Br. & Alciat.* neque quod sit vehementissimum, uti voluit *Connan.* Sed quod à jurisdictione sit discretum & separatum. *l. 1. ff. de off. ejus cui mand.* Et hoc etiam arguit oppositio meri & mixti imperii *in d. l. Imperium 3.* Ac iterum potest dividi in plenum, cum videlicet quis omnia, quæ ad merum imperium pertinent habet, quale olim habuit populus, Dictator, Consul. *l. necessarium 2. §. 3. ff. de O. I. Obrecht. d. in loc. & minus plenum, cum scilicet quis partem tantum habet meri Imperii, ut præses, qui jus gladii & in metallum damnandi habuit, non autem jus deportandi. l. illicitas 6. §. 8. ff. de off. præf. junct. l. rei capitalis 2. §. 1. ff. de poenis. l. inter 6. §. 1. ff. de interd. & releg.*

Sicut

VIII.

Sicuti autem in jure certi pœnarum gradus constituuntur, ita etiam Imperium merum in certos gradus à Dd. distribuitur, licet propter contingentia delicta, quibus infinita est pœnarum varietas, commodè distributionem fieri non posse dicat *Tob. Paurm. de Jurisd. libr. 1. cap. 12.* Varii autem variè circa hanc graduum distributionem dissentiunt ut patet ex *Matth. Steph. de Jurisd. libr. 1. cap. 7.* Vera videtur opinio *Zasii in d. l. Imperium 3. ff. de Jurisd. & Obrecht. d. tract. cap. 7.* dum tres duntaxat gradus faciunt, ex *l. 28. in princ. & §. 1. ff. de pœnis.* Primi & summi gradus pœnæ sunt, quibus caput & vita naturalis adimitur, & ultimi supplicii appellatione designantur. *d. l. 28. l. licet 103. ff. de Verbor. Signific. ad quem etiam refertur damnatio ad bestias. l. 6. §. 6. ff. de Injur. l. 29. ff. de pœnis. it: vivi crematio & fumigatio. l. 8. §. 2. de pœnis.* Amputationem tamen & abscissionem membri non ad hunc supremum, sed ad infimum gradum spectare, rectè asserit *Bocer. d. tract. cap. 5. num. 11.* Secundi gradus pœnæ sunt, quæ proximæ sunt morti, & quibus caput & vita civilis aufertur, ut deportatio. *d. l. 28. & hodiè proscriptio, sive Bannum Imperiale, des Reichs Acht. Gail. libr. 1. de pac. pub. cap. 1.* Tertii & infimi gradus sunt, quæ ad corporis coercionem pertinent, ut fustigatio. *l. publicorum 2. ff. de publ. ludi. Infamix in criminalibus irrogatio. l. 7. ff. de publ. lud. & relegatio. d. l. 28. §. 1. & d. l. publicorum 2.*

IX.

Exercetur hoc imperium non solum in vivos homines, sed etiam in defunctorum cadavera, si scilicet atrox scelus sit. *l. ult. ff. de bonis eorum qui ante sent. l. ult. ubi Br. & Dd. ff. de sepulch. viol. l. 1. ff. de Cadav. pun. & ibi VVesenbec. quale est crimen læsæ majestatis. et. ff. & C. ad L. Jul. majestat. imò in ipsis liberis tam grande nefas vindicatur, cum paterni sceleris exemplum in iis metuendum sit. l. 1. C. ad L. Jul. majestat. Non tamen exercetur in bruta animalia, siquidem cum juris & rationis non sint*

capa

capacia, delinquere non possunt, l. 1. §. 3. ff. si quadrup. paup. fac. die.
Et licet interdum propter Sodomiam & homicidium interficiantur, tamen hoc non fit in pœnam, sed potiùs ad tollendam tam horren- di criminis memoriam Petr. Heig. part. 2. quest. jur. Civil. quest. 37. n. 15. Uti nec in furiosum, si in iplo furore deliquerit. arg. l. 53. in princ. ff. de furt. l. 5. C. de injur. junct. §. in summa Inst. de Oblig. qua ex delicto. l. 12. ff. ad L. Cornel. de sicar. Secus vero si ante furorem, vel eo tempore quo furor ipsius remissus fuit arg. l. 34. ff. de off. pras. l. 7. §. 5. ff. de curat. furios. Huic ferè similis est enormiter Ebrius, c. venter. dist. 35. c. sanè 15. quest. 1. in hunc enim, cum impetu & casu delinquat l. 11. §. 1. ff. de pœni, Imperium merum ordinariè exerceri nequit. d. l. 11. §. 2. Siquidem delictum ex proposito & dolo malo commissum tantum punitur ordinariè. l. 1. §. Divus l. 16. ff. ad L. Cornel. de Sicar.

X.

Cum autem ea saltem, quæ jure magistratus competant mandari possint. l. more 5. ff. de Jurisd. Merum verò Imperium ex speciali lege vel S. C. to vel Principum Constitutione tribuatur. d. l. quæcunq; 1. ff. de off. ejus cui. consequens est, merum Imperium mandari vel delegari non posse. d. l. quæcunq; 1. l. 6. ff. de off. procons. Uti nec principis delegatus causas meri Imperii alii subdelegare potest d. l. quæcunq; 1. Donell. 17. Com. c. 22. Et hæc etiam jure Canonico vera videntur, propter can. si pro debilitate 3. ext. de off. & potest iud. deleg. & c. 1. clement. de hæretic. Excipit Papinianus unicum absentia casum. d. l. quæcunq; 1. qui, quemadmodum ad solum crimen violentia non est restringendus, Matth. Steph. de Jurisd. lib. 1. c. 8. n. 59. ita ad casum infirmitatis minimè est extendendus, d. l. quæcunq; 1. Secus de Iure Canonico, nam illud ex qualibet gravi causa delegationem admittit. d. c. si pro debilitate. Delegato autem alicui in casu absentia mero Imperio, non solum criminalis jurisdictio, sed ipsum merum Imperium concessum intelligitur. d. l. quæcunq; Duar. ad l. 3. ff. de Jurisd.

Facile

XI.

Facile exinde patet, quod concessio à Principe alicui castro in feudum, cum omni vel omnimoda jurisdictione, non Imperium merum, sed criminalis & civilis jurisdictio, huicq; cohærens mixtum Imperium concessum intelligatur. *d.l. quæcunq; 1. l. mandatam fin. ff. de off. ejus cui mand. clem. un. §. iisdem verbo omnimoda ubi gloss. & Dd. de foro. compet. Obrecht. de Jurisd. cap. 1. circ. fin. Secus verò si plenissima & omnimoda jurisdictio concessa sit. l. si in aliam 7. §. fin. cum l. seq. ff. de off. procons. Bocer. de Jurisd. c. 8. n. 11. vel lingua nostra germanica alles hohe, vnd Niedergerichte / vel die hohe vnd niedere Obrigkeit. Non tamen sub plenissimæ & omnimodæ jurisdictionis appellatione Regalia continentur: Hæc enim, cum soli principi reservantur, & non nisi specialiter à summo principe tribuantur, cum jurisdictione nihil commune habent: Et hanc ob causam etiam dicuntur reservata, præsertim majora, quod concessione generali non veniant, sed excepta ac reservata ipso jure esse censeantur, nisi eorum expressè fiat mentio. *VVesenb. consil. 45. n. 40. Rosenth. de feud. c. 5. concl. 14. n. 4. Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 5. n. 75. Paurm. de Jurisd. lib. 1. c. 4. n. 14.**

XII.

Civilis Jurisdictio, quæ potestas est cognoscendi de causis civilibus. *sup. thes. 3.* dispescitur in contentiosam & voluntariam. *l. 2. ff. de off. pro cons.* Contentiosa est, quæ in invitos & civiliter contendentes exercetur. *l. inter 83. §. 1. ff. de V. O. Donell. 17. Com. c. 8.* Voluntaria est, quæ inter volentes fit maximè extra judicium. *d. l. 2. & l. 3. ff. de off. procons. VVesenb. in par. C. de his qui in Eccles. man. n. 1.* Et exercetur interdum sola auctoritate & approbatione magistratus, ut in adoptionibus, manumissionibus & similibus *d. l. 2. & 3. ff. de off. procons.* Interdum etiam causa cognita, decreto ejus explicatur, ut in transactione de alimentis ultima voluntate relictis *l. 8. §. 8. & 17. ff. & l. 8. C. de transactionibus Alienatione prædiorum minoris. l. 1. ff. de rebus eorum*
quò

qui sub tut. vel cur. & aliis: hæc verò cum magistratus jure non
competant, sed ex speciali lege concedantur. l. 2. in princ. & §. 1.
ff. de off. ejus cui mand. propriè jurisdictionis non sunt, sub latif-
simo tamen jus dicentis officio etiam continentur. l. 1. ff. de
Jurisd. ut sic in iis jam concessis, exercendis & perficiendis re-
fulgeat quidem jurisdictionis, ejus tamen vigore non compe-
tant d. l. 2. in princ. & §. 1. Et ita etiam Tutorisdatio, quæ jurisdic-
tionis non est, sed speciali lege competit. l. 6. §. 2. ff. de tut. arg. l.
papillus 239. §. decuriones 5. ff. de V. S. junct. l. decreto 3. ff. qui petant tutor.
uti etiam cognitio & remotio suspecti tutoris arg. l. 4. junct. l. 1. ff.
de off. ejus cui mand. l. 1. §. 3. ff. de susp. tut. l. 1. §. 11. ff. ad S. Ctum Turpill. ad la-
tissimum jus dicentis officium pertinere dicuntur in d. l. 1. ff. de
Jurisd. & in iis exerceri jurisdictionem probat Donell. 17. Com. 6. 8.
Cujac lib. 15. obs. 19.

XIII.

Dividitur etiam jurisdictionis in propriam, quam quis jure
magistratus habet, & non propriam l. 5. l. seq. ff. de Jurisd. quæ &
aliena dicitur, it: commodata. Obrecht. d. tract. cap. 2. Et hæc
iterum vel mandata est, quam quis nomine alieno habet l. 1.
§. 1. ff. de off. ejus cui. Matth. Steph. de Jurisd. cap. 16. num. 6. vel proro-
gata quâdo vid. jurisdictionis magistratus ordinaria ad eam rem
vel personam vel causam extenditur, quæ aliàs ad illius ma-
gistratus jurisdictionem non spectat. l. 14. l. 18. ff. de Jurisd. In
eum verò, qui nullam jurisdictionem habet prorogatio non
cadit. d. l. 18. l. 28. ff. ad municipal. nihil tamen interest, sive habeat
ordinariam, sive delegatam. l. 1. ff. de iudic. Donell. 1. com. c. 16. Man-
dare autem jurisdictionem est vice sua alium constituere,
qui ea exerceat quæ sibi magistratus jure competunt. l. 16. ff. de
Jurisd. l. 3. ff. de off. ejus cui mand. Et potest magistratus jurisdic-
tionem mandare vel omnem, vel speciem sive partem, vel in cer-
tas personas vel causas. d. l. 16. l. seq. ff. de Jurisd. l. 1. §. 4. ff. de susp. tut.
Ille tamen, qui mandatam jurisdictionem habet, cum nihil
proprii obtineat. l. 1. §. 1. ff. de off. ejus cui mand. l. 1. de interd. illam
alteri mandare nequit. l. mandatam fin. ff. de off. ejus cui mand. Quo-
niam

niam verò legato proconsulis multa singularia & specialia mandata jurisdictione tribuantur. *arg. l. 15. de off. procons. l. 1. §. 1. ff. de tut. vel cur. dat. ab his, ubi tutorem dare potest, item manumittere. l. 17. ff. de manum. vind. l. 2. & 3. ff. de off. procons. & alia. Ideo propriam jurisdictionem habere censetur. l. 4. ff. de off. ejus cui l. 4. §. 6. ff. de off. procons.*

XIV.

Mandata jurisdictione omnia transeunt, quæ sunt jurisdictionis & mixti Imperii. *l. 1. §. 1. l. fin. de off. ejus cui mand. Semper enim hæc duo jurisdictionis & mixtum imperium in persona exercentis sunt conjuncta. l. 3. ff. de Jurisdic. transit igitur judicis dandi licentia, d. l. 3. l. 12. ff. de Judic. malè enim hanc potestatem speciali lege deferri statuunt Govean. & Coras. ad d. l. 3. Restitutio in integrum. l. 26. ff. ad municip. l. 3. ff. de restit. in integ. l. ult. C. ubi & apud quem cognit. in int. & alia. Ea tamen, quæ speciali lege deferuntur, ut merum imperium, d. l. 1. ff. de off. ejus cui mand. l. 6. in princ. ff. de off. procons. & quæ improprie jurisdictionis voluntariæ esse dicuntur *sup. thes. 12. mandata jurisdictione non transeunt. l. 2. ff. de off. procons. & legat. l. 1. ff. de off. Jurid. l. 4. ff. de adopt. l. 2 in princ. ff. de off. ejus cui mand. nisi eadem lex quæ detulit, simul etiam concesserit eadem mandari, Sic enim cognitio de suspectis tutoribus, quæ ex speciali lege descendit. *sup. thes. 12. per l. 1. §. 11. ff. ad Sctum Turpill. ex singulari favore mandari permittitur. l. 4. ff. de off. ejus cui mand. est.***

XV.

Quomodo jurisdictio acquiratur, *super thes. 4. dictum est. Acquisita igitur exercetur in personas & Res Jurisdictioni subditas, Clerici enim Ecclesiastico judici. l. 17. C. de Episc. & Cler. auth. statimus C. de Episcop. audient. Laici Laico. t. t. ff. & C. de Jurid. Milites Militari. l. pen. C. de pact. l. 6. C. de Jurid. Scholares Rectori subjacent. Auth. habita C. ne filius pro patre. Et supra jurisdictionem suam magistratus jus dicere non potest. l. fin. ff. de*

Jurid.

Jurisd. uti nec sibi, nec uxori vel liberis vel libertis suis. l. 10. ff. de Jurisd. l. unic. C. ne quis in sua causa. Subjicitur autem aliquis jurisdictioni alicujus, vel ratione domicilii. *l. 2. C. ubi & apud quem cognit in integ. rest. l. fin. C. ubi in rem actio. l. 19 §. fin. ff. de Jud.* Quod, quanto tempore contrahatur, arbitrio judicis cum Menoch. 1. arb. jud. quest. cent. 1. cas. 86. num. 16. relinquendum est: vel ratione loci contractus. *l. 19. §. 1. & l. seq. ff. de Jud. vel delicti commissi. l. 1. & rr. C. ubi de crimin. l. 3. ff. de re milit.* Notandum tamen, Reos criminis in quolibet loco ubi reperiuntur, licet ibi domicilium non habeant, conveniri posse. *d. l. 1. & l. 2. C. ubi de crimin. arg. l. 3. de off. pres. Donell. 17. com. c. 16. vel etiam ratione rei litigiosæ sitæ l. 1. ult. C. ubi in rem actio. & aliis modis.*

XVI.

Miserabiles verò personæ, ut sunt pupilli, viduæ diuturno morbo fatigati & debiles, ex singulari privilegio & constitutione in suo tantum foro conveniri possunt, *l. unica. C. quando Imp. inter pupill.* Ipsi tamen adversarios suos è provincia in qua sunt, ad ipsum principis tribunal trahunt *d. l. unica.* Gaudent huic privilegio tam divites quam pauperes *Matth. Steph. de Jurisd. libr. 1. cap. 31. num. 37. Menoch. lib. 2. arb. Jud. quest. cent. 1. cap. 66.* Et ad fœminam cœlibem vitam agentem rectè extenditur. *arg. l. malum 242. §. viduam ff. de Verb. Sign.* Studiosi tamen miserabilibus personis, ita ut sub constitutione *d. l. unic.* contineantur cum *Tr. disp. 3. thes. 10. lit. e.* accenseri non debent: Beneficia enim principum certis personis indulta, personam non egrediuntur sed strictè accipi debent, Quapropter etiam, cum in *d. l. unic.* quæ miserabiles personæ sint, definitum ac determinatum sit, Judicis arbitrio cum *Menoch. 2. arb. Jud. quest. cent. 1. cas. 66. num. 1.* id relinquendum non est. Ut proinde malè ad Ecclesiam, & servientes Ecclesiis, Mercatores captivos advenas & alios extendatur. Huic tamen beneficio, cum miserationis gratia personis istis sit concessum, renunciari non posse, rectè videtur asserere *Schrad. tract. feud. part. 10. cap. 2. n. 36.*

Quem-

XVII.

Quemadmodum merum Imperium vocatur executio jurisdictionis criminalis, *sup. thes. 5.* Ita mixtum imperium vocatur executio jurisdictionis civilis. *Donell 17. Com. cap. 8.* Dicitur autem mixtum, non quod ita confusum & permixtum cum jurisdictione sit, ut unum quodammodo efficiat *uti voluit Muræus*, Sed quod jurisdictioni civili cohæreat. *l. quæcunq; 1. §. fin. ff. de off. ejus cui mand. & cum ea permixtum sit, unde etiam non merum appellatur. l. mandatam fin. ff. de off. ejus cui mand. est.* Et potest definiri, quod sit potestas judicati exequendi in causa civili. Hujus imperii duo traduntur quasi gradus, unus continet ea, quæ magis jurisdictionis dicuntur *d. l. fin. ff. de off. ejus cui mand. l. 2. ff. de Jurisd. ut est judicis dandi licentia. l. Imperium 3. ff. de Jurisd. Donell. d. 12. lo.* Alter comprehendit ea, quæ magis sunt imperii. *arg. l. jubere 4. ff. de Jurisd. ut est missio in bonorum possessionem. d. l. imperium 3. restitutio in integrum. l. 26. in princ. & §. 1. ff. ad municipal. Jussus prætoris stipulatione cavere. d. l. jubere 4. Donell. d. in loc.*

XIX.

De incarceratione dubitatur an sit Imperii meri vel mixti vel jurisdictionis? *Br. in d. l. Imperium 3. & eum secuti statuunt eam esse imperii meri: Muscorn. vult eam quandoq; esse jurisdictionis specialis.* Nos cum *Obrecht.* distinguimus, ut, si in causa criminali carcer decernatur pœnæ loco, ut aliquando fieri solet. *l. 3. ff. de custod. & exhib. reorum. vel ad custodiam facinorosorum, usq; dum de illis supplicium sumatur, ad merum imperium referri debeat.* Si verò in causa civili, exequendæ & explicandæ jurisdictionis civilis gratia, tunc incarcerationio, cum modicam coercionem, quæ mixti imperii est. *l. fin. ff. de off. ejus cui mand. in se contineat. ad illud mixtum imperium etiam referenda sit.* Idem dubium habetur de multæ irrogatione: *Gædd. enim & hanc simplicis jurisdictionis esse asserit ad l. 131. §. 1. ff. de verb. sign. n. 6.* Nos iterum distinguimus,

gūimus, inter multam, quæ alicui propter facinus aut delictum perpetratum imponitur, & quæ exequendę jurisdictionis civilis & modicę coercionis gratia irrogatur, ut priori casu, sit Imperii meri. *arg. d. l. imperium 3. ff. de Jurisd. posteriori* verò mixti. *arg. d. l. fin. ff. de off. ejus cui mand.*

XIX.

Licet autem Imperium mixtum & Jurisdictio civilis in exercentis persona semper sint conjuncta *l. mandatam fin. ff. de off. ejus cui*: tamen ob juncturam illam & commisionem *cum Cujac. 21. obs. c. 30. Obrecht. disp. de Jurisd. thes. 345.* & aliis non statuendum est hæc duo non esse distincta: Hoc enim imperium cum jurisdictioni cohæreat. *l. 1. in fin. ff. de off. ejus cui.* Idem cum ea esse nequit, cum diversum sit, quod cohæret, ab eo cui cohæret: Et quemadmodum differunt cognitio & cognitionis executio, ita etiam differt jurisdictio simplex & hoc imperium mixtum *Donell. 17. Com. cap. 8. Vult. lib. 1. Jurisp. c. 12.* Merum verò imperium, licet & hoc cum jurisdictione criminali aliquo modo sit conjunctum, cum incognita causa, nemo sit condemnandus. *l. absentem 5. ff. de pænis.* non tamen ita jurisdictioni criminali cohæret, ut mixtum imperium civili. *l. 3. ff. de Jurisd.* nam & is, qui merum imperium non habet, criminalem jurisdictionem exercere potest. *id. quod patet ex l. Imperatore fin. S. item fin. ff. ad L. Jul. de annon. l. mulierem 13. ff. de accusat.*

XX.

Restat quomodo finiatur & amittatur jurisdictio: Et quidem propria sive ordinaria jurisdictio finitur morte ejus cui commissa est, quiq; vel à populò vel principe magistratui præfectus est, *c. 2. de off. deleg. in 6. Nov. 22. c. 20.* Nemo enim jurisdictionem magistratus jure competentem in hæres transmittit: quod tamen fallit, si jurisdictio cohæreat territorio, & una cum territorio in hæres trãseat. Item, Non utendo per tempus longissimum *cap. 7. de privil. in 6.* tanto enim tempore quo præscribitur,

bitur, etiam non utendo amittitur. *sup. thes. 4. it: nimia savitia in subditos. arg. l. 2. vers. dominorem ff. de his qui sunt sui vel al. §. ult. Inst. eod. it. in singulis causis instantiâ, litevè finitâ ratione scilicet illius causæ, qua de lis fuerit instituta. l. 13. C. de Iudic. it. recusatione Judicis suspecti, quo ad recusantem. l. 16. C. de Iud. Non modo autem delegatus sed etiam ordinarius tanquam suspectus recusari potest cum sine omni suspitione lites procedere debeant. d. l. 16. Et quidem non tantum de jure Canonico. c. cum speciali extr. de appell. Verum etiam de Jure Civili arg. d. l. 16. C. de Iud. l. 4. C. de Iurisd. omne Iud.*

XVI.

Mandata finitur morte delegati. c. pen. de off. deleg. & delegantis re adhuc integra. l. 6. ff. de Iurisd. VVesenb. in par. ff. Iurisd. num. 14. it: revocatione mandati per eum qui jurisdictionem mandavit c. insinuante 25. de off. delegati. arg. §. 9. Inst. de mandato. it. tempore, intra quod delegatus judicare jussus erat, elapso c. de causis 4. extr. de off. delegati l. 12. ff. de Iud. sive ut nunc loquimur elapso termino commissionis d. c. de causis VVesenb. d. in loc. num. 14. Prorogata revocatur per pœnitentiam, si nondum aditus est Judex in quem consensum est l. si convenerit 18. ff. de Iurisd. nisi conventio de proroganda jurisdictione juramento fuerit confirmata c. 13. extr. de Iudic. c. 28. ext. de Iurjur. omne enim iuramentum quod servari potest absq; dispendio æternæ salutis religiosè servari debet. c. quamvis de pactis in 6. Matth.

Steph. de Iurisdic. libr. 1. cap 39.

num. 41.

**SOLI DEO SIT HONOR
ET GLORIA.**



Honori
EXCELL. DOMINI PRAESIDIS
Amori
PRAEST. DOMINI RESPONDENTIS.


Semma Potestatis duplex. Nam competit una
Jure magistratus: lege secunda venit.
Liberat hæc justos & crimina fasce coërcet
Actaq; judicii liberioris habet:
Illa sed inferior tractans civilia rerum
Castigat modica cum ratione reos.
Si speciem rebus componere fas sit; alumno
Cuiq; Potestatem dat Themis alma suo.
At alia atq; alia est: qua lege tributa Tiara:
Et qua communi cuiq; tributa modo.
Nonne meri Imperii res sit, dum pulpita scandis
Alta, BRUNO Themidos fulgida stella chori;
Errores thesibus tua dum sententia stringit
Actaq; judicii liberioris habes?
Imperium WACKIO mandas: non quodlibet, illud
Quod solet, ut dubiis se gerat usq; virum
Qua patet atq; licet; si dignus vindice nodus
Inciderit, referat praesidis ante forum.
Imperii mixti dum me pluresq; fatigant
Interea trica ac altius ire negant.

Jacobus Metzner Numbürgensis.



X2615935

Von



Pub. 8. m. 18

D JURIDICA

1620, 2

CTIONE:

Amplissimi Jctorum ordi-
nia Lipsiensi

AESIDIO

I-CHRISTO-
â Pefna in Grossen
U. J. D.

subicit in Auditorio
orum

H. VVACKE
b. Thur.
14. Decemb.

S I Æ,
S JANSONIUS Danus.
. DC, XX.

**KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄTS-
ZVHALIE**